

Scaphosepalum longirepens, sp. nov.

Herba gracilis, epiphytica. Rhizoma longe repens, teres, multiarticulatum, vaginis tubularibus scariosis numerosis pro parte obtectum, usque ad 17 cm. longum. Radices longae, glabrae, flexuosae, circa 1 mm. crassae, ut videtur simplices. Caulis perbrevis, circa 3 mm. longus. Folia lineari-oblongata, plus minusve 6 cm. longa et 8.5 mm. lata super medium (raro multo minora), apice acuta, basi in petiolum gracilem canaliculatum inferne uniarticulatum sensim angustata, subcoriacea, nervo medio supra sulcato, subtus alte carinato. Pedunculus e caulis summo exoriens, cum caule et petioli basi vagina scariosa inclusus, arcuatus vel leviter flexuosus, gracillimus, teres, vaginis parvis inconspicuis tubularibus compluribus obtectus, usque ad racemum 4–6.6 cm. altus. Racemus fractiflexus, plus minusve 6 cm. altus, multiflorus, floribus approximatis distichis. Bractee inflorescentiae minutae, erectae, scariosae, infundibuliformes. Flores in genere inter minores. Sepala basi cohaerentia et cupulam formantia. Sepala lateralia usque per duas tertias connata, dorso alte et crasse bicarinata, carinis in caudas binas divaricatas extensis, per omnia circa 6 mm. longa. Sepalum dorsale inferne cum sepalis lateralibus connatum, lingulatum, apice rotundatum et obtuse acutum, dorso medio alte carinatum, parte superiore valde incrassata, circa 4.9 mm. longum. Petala minora, oblique elliptico-ovata, acuta, apice dorso crasse carinata, circa 3 mm. longa. Labellum quam petala paulo brevius, circa 2.5 mm. longum, ex ungue quadrato .65 mm. longo in laminam leviter sed distincte trilobatam subito dilatatum; lobi laterales semiorbiculares; lobus terminalis porrectus, late oblongus, rotundatus, margine minutissime ciliato; discus inferne callis binis latis semilunatis crassis ornatus. Columna in alam latam tridentatam extensa. Anthera pileata, membranacea. Pollinia duo, pyriformia, complanata.

The elongated rhizome and small flowers distinguish this species from its allies. From *Scaphosepalum Pittierii* Schltr. it differs in having long, creeping rhizomes and a dorsal sepal that is not dilated above. The acuminate petals and distinctly trilobed labellum are also important differentiating characters when comparisons with *S. Pittierii* are made.

PANAMA, PROVINCE OF CHIRIQUI. Humid forest of the Cordillera, east of the Rio Caldera, *Killip* 3567, February 17–19, 1918. 2,000 meters altitude.